ORATIO

HABITA

In Romano Archigymnaſio

A

JOHANNE BOTTARIO

FLORENTINO

Quum ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Sacrarum Controverſiarum tractationem aggrederetur.

8
959
34-4-6-1-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ

TYPIS JOANNIS MARIÆ SALVIONI.

M. DCC. XXXIV.

Superiorum facultate.

Digitized by Google

CLEMENTI XII.

PONT. MAX.

PIO, JUSTO
PRUDENTI, INTEGERRIMO
FIDE, CONSTANTIA, HUMANITATE
PRAESTANTISSIMO
POPULORUM PATRI AMANTISSIMO
LITERARUM, ET BONORUM PATRONO
MALORUM VINDICI
ECCLESIAE PACIS ASSERTORI
OB INNUMERA IN SE COLLATA BENEFICIA
JOHANNES BOTTARIUS
IN ROMANO ARCHIGYMNASIO
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
ET CONTROVERSIARUM PROFESSOR
MUNUSCULUM HOC
IN PERENNE GRATI ANIMI MONUMENTUM
D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

361

V.

ORATIO.

SI quid unquam alicui & ad honeſtam animi voluptatem jucundius, & ad nominis celebritatem accidere potuit præclarius, hoc utique hodierno die mihi accidiſſe fatendum eſt, quum in conſpectu veſtro, PATRES AMPLISSIMI, AUDITORES ORNATISSIMI, verba facere pro muneris mei ratione, ad quod ſuſcipiendum aggredior, ſum coactus: idque in ea civitate, cujus, qui æternam appellarunt, ii veram ſpeciem tantæ urbis comprehenderunt: ac eo potiſſimum tempore, quando bonorum omnium felicitate dies ille optandus quidem, ſed vix ſperandus illuxit, quo CORSINIUS Heroum maximus rerum habenas Orbe univerſo plaudente eſt conſequutus: ac in eo tandem orationis argumento, quo nihil præſtantius, nihil excelſius, nihil poteſt excogitari divinius; nempe de illa hiſtoriæ parte, quæ res ſacras enarrat, atque de præſtantiſſima diſciplina, quæ nos docet pro avita Religione adverſus impios, & nefarios ejus hoſtes decertare. Quæ omnia quum mihi primo obtutu in mentem veniunt, repente interno gaudio

perfundor, & omnibus lætitiis incedo; deinde vero re melius inſpecta, atque refrigerato tam læti impetus ardore maxime perturbor, & animo concido, ut ad dicendum timidius accedam, & parem ampliſſimo cœtui veſtro, parem præclaræ hujus urbis gloriæ, parem tanti Pontificis virtuti, parem denique orationis meæ argumento magnitudinem animi afferre non poſſe cognoſcam. Vehementer enim commoveor, Auditores, quum ornatiſſimum conſeſſum veſtrum circumſpicio, meque in conventu doctiſſimorum hominum collocatum intelligo, qui me & ſcientia rerum præſertim divinarum, & eloquentia longe antecellunt, omneſque & corporis, & mentis oculos in me defigunt; ſimque tam illuſtri optimorum adoleſcentium corona ſtipatus, qui me unum ſuſpicientes, intentis animis quid in hac, quam eos docturus ſum, diſciplina poſſim, taciti ſecum ipſi penſitant, atque componunt. Redeunt quoque in memoriam omnes ferme priſcorum temporum oratores, qui Romana roſtra forumque Latini ſermonis amplitudine, & divinæ propemodum eloquentiæ majeſtate impleverunt. Necnon ad tempora nobis propiora deſcendendo ſeſe animo meo offerunt præſtantiſſimi illi viri, & immortalitate donandi, inter quos imprimis adnumerandus plane

eſt

eſt Illuſtriſs. GALLIANUS Anteceſſor meus, qui in hoc Romano Lycæo, in hac celeberrima, per totum qua late patet Orbem ſapientiæ ſede, tanta nominis ſui, & hujus Archigymnaſii gloria verba fecere. Quum vero perpendo, hoc potiſſimum ſub CLEMENTIS XII. imperio mihi contigiſſe, quo ſcilicet virtutes omnes quaſi poſtliminio illius humeris in Urbem ſunt revocatæ, quando optimas diſciplinas florere, doctiſſimis viris conquiſitis, ſummiſque præmiis propoſitis, atque omni humanitatis genere illectis, flagrantiſſime concupiſcit, magis magiſque pertimeſco. Hoc amplius, quod argumenti amplitudo, majeſtas, dignitas, & divinum quoddam, quod in eo ineſt, ad veram beatitudinem conſequendam adjumentum, infinitam propemodum materiam, ac laudum copiam, ſegetemque ubertim, abundantiuſque, quam anguſtis ingenii mei finibus par eſſet, oggerit ultro, ultroque torrentis modo ſuperfundit. Quæ dum iterum mecum ipſe tacitus mente volutarem, omnem propemodum mihi ademerant, alioquin in me exilem dicendi facultatem. Verum me recreat atque reficit omnibus plane, ſed mihi potiſſimum cognita, atque perſpecta humanitas veſtra, Auditores, qua ad me audiendum conveniſtis, & nunc dicentem ſilentio veſtro ſublevatis, ut alacri animo orationem exor-

 diar,

diar, & eas diſciplinas laudibus ornem, quas vobis omnibus, veſtræ dignitati, veſtro imperio, huic urbi, avitæque religioni quampluri-mum commodi, adjumenti, fructus adferre omnes quidem fateantur. Quapropter ſi non pulchritudo, ſi non ornatus, lepor, ubertas, ſaltem rerum dicendarum gratia, pondus, & magnitudo meam commendabunt orationem. Quod ſi, ut præclare dicere ſolebat Themiſtocles, nullum auditionis genus eſt jucundius, quam ſui laudes audire, eaque de cauſa facillimum erat apud Athenienſes, teſte ſapientiſſimo Græcorum Socrate, Athenienſes laudibus ornare, ego quoque minime verear, meam orationem vobis jucundam fore, quum de his rebus præcipue diſſerat, quæ maxime omnium non veſtræ laudi tantum, ſed quod caput eſt, veſtræ utilitati conducere demonſtrabo. Etenim vobis oſtendam breviter, Auditores, ex hac, quam Eccleſiaſticam vocant, Hiſtoria, & ex ſacrarum Controverſiarum doctrina magnum ſemper Chriſtianam rempublicam, noſtramque Religionem ſumpſiſſe incrementum.

Quod quam verum ſit, ut vobis oſtendam, in mentem quæſo, Auditores, revocate, quod ſæpius a graviſſimis ſapientiæ auctoribus, vere ac ſapienter adfirmatum eſſe comperimus, iiſdem artibus, quibus parta ſunt imperia, eadem defendi deinceps, & gubernari. Jactent quantum-

tumvis antiqua gentium monumenta earum originis gloriam, & ad heroas, & ad Deos, ſi placet, referant auctores, qui ſapientiſſimis inſtitutis rerum dominationem ſtabiliverint, quum tamen a majorum ſuorum conſuetudine, qui ex illis orti ſunt nepotes, receſſerunt, actutum omnia

In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri

cœperunt, ac tandem infracta & everſa miſerrime concidiſſe nemo non videt. Quum florentiſſima Græcorum natio, quod fortiſſimi majores armis ſibi regnum comparaverant, in deſidiam, & umbratiles exercitationes, & ad molles artes & nugaces convertiſſet, ſtatim viſa eſt a priſca illa gloria, ad quam tot laboribus pervenerat, omnino deſciſcere, ejuſque imperium corruere, atque labefactari. Quum Romana Reſpublica virtute civium, caritate in patriam ſingulari, & aurea illa tam in adverſis, quam in ſecundis rebus moderatione, necnon frugalitate, & parſimonia, & quadam gravi morum ſeveritate eo magnitudinis deveniſſet, ut omnes ſupergreſſa nationes totum propemodum, qui tunc notus erat, Orbem ſuæ ditioni ſubjeciſſet; quando privatæ amplitudini, privatiſque opibus inhiari cœptum eſt, nec amplius moderationi, & parſimoniæ honos fuit, & paucorum dominatio, & Syllæ, & Marii, & Pompeii, & Cæſaris potentia ſupra cæteros obtine-

ret, actum ſtatim de libertate, actum de ſplendore, actum de ſtatu tam formidandæ reipublicæ, quam quiſque æternitati conſecratam, & adamantinis firmari vinculis arbitrabatur. Exemplis autem in re tam clara ſuperſedebo, præſertim poſt recenſitas duarum fama celeberrimarum nationum memorias, & ad id, quod initio propoſueram, mea convertetur oratio. Nemo eſt, qui ullo modo dubitare poſſit, Chriſtiani nominis imperium principio ſtabilitum eſſe, & veluti ſuper quibuſdam firmiſſimis fundamentis ſuper doctrinæ veritate, & morum præſtantia ædificatum. Chriſtiana, inquam, Religio non armorum vi, non legionum numero, non diuturna urbium obſidione, non fractis acciſiſque aperto marte dimicantium copiis, divinum hoc ſacrorum regnum ſibi comparavit. Non enim, ut cætera imperia veneno ſublatis, aut ferro interemptis regibus, non civium conjuratione, aut ſeditione populorum tyrannidem inſectantium, non opum effuſiſſimis largitionibus animos plebis turbulentiſſimæ ſollicitando, ſuæ jecit fundamenta dignitatis; ſed è cœlo evocata ſapientia, hominibus in ſumma rerum ignoratione degentibus lumen adferens veritatis: ſed morum præſtantia plane ſingulari in ſui admirationem animos traducens, ita gentes omnes tum politiores pellexit, tum barbaras lenivit, ut eas ſibi tandem faſces ſubmittere,

ſibi-

ſibique libentiſſime, ſuiſque legibus adegerit obtemperare. Cujus rei tam omnibus compertæ, tam omnibus teſtatæ literis, omnium ſæculorum conſenſu comprobatæ, in omnium pervagatæ ſermonibus, nulla in medium adferam teſtimonia, ne actum agere videar, ne me luci meridianæ, Soliſque radiis addere velle claritatem arbitremini. Verum iiſdem nunc ſane artibus, iiſdemque adminiculis, hoc etiam ita partum ſacrorum imperium, ut de cæteris ſuperius oſtendi, conſervandum tuendumque confirmabo. Hoc enim ſemper factum eſſe prætcritis ſæculis animadvertemus, ſi vel ſecunda, vel difficilia Eccleſiæ tempora memoria repetamus. Videbimus plane doctrina, & ſanctitate morum florente, amplitudinem Eccleſiæ floruiſſe, & contra iiſdem languentibus, & pæne intermortuis, hanc quoque mirum in modum decreviſſe. Quid eſt, quod vobis, Auditores ſapientiſſimi, commemorem, quantum ornamenti, & dignitatis, quantum potentiæ, & magnitudinis, quantum divitiarum, & ſplendoris tribuerit ſacrorum miniſtris maximus ille Imperatorum Conſtantinus, nulla alia adductus ratione, niſi quod ſummopere ſuſpexerit præſtantiſſimam cum ſapientiam, tum integritatem & Potamonis Heracleenſis,& Pauli Neocæſarienſis, & Spiridionis Themituntis, & Jacobi Niſibis, & cæterorum Epiſcoporum Niceæ coacto-

rum? Veſtræ, inquam, doctrinæ, veſtræque morum ſanctitati, ſanctiſſimi doctiſſimique Præſules, acceptum referre debet Eccleſia, quod a ſitu, & ſquallore repente ad tam ſublime honoris culmen fuerit evecta: Vobis profecto, veſtræque virtuti, quod ille, qui mundi dominus appellabatur, habebaturque, in publico conſeſſu veſtro, toto propemodum Orbe ſpectante, infra vos, & non niſi vobis annuentibus ſederit: quod calumnias vobis per libellos Arianorum illatas rejecerit, & illos etiamtum obſignatos è veſtigio in ignem projiciendos imperaverit: quod in hanc vobis, & toti Eccleſiæ glorioſam ſententiam eruperit, qua diſertiſſimis verbis adfirmavit, vos a Deo conſtitutos eſſe Sacerdotes, vobiſque tantam ab eo impertitiam eſſe poteſtatem, ut vos de regibus ipſis, de vobis vero non homines, non reges, ſed Deum ipſum conſentaneum eſſet judicare. Tantum valuit ad Eccleſiæ amplitudinem promovendam doctrina, & morum integritas. Contra vero, fuit ne tempus ullum tam Eccleſiæ calamitoſum, tamque periculorum plenum, quam ſub imperio illius Imperatorum peſſimi, & ſceleſtorum coryphæi, Juliani, inquam, Apoſtatæ, quum è medio tollere conatus eſt omne doctrinarum lumen, omnemque bonarum artium lucem extinguere, eoſque, qui Chriſtiano nomine cenſebantur, in cæcas ignora-

ra-

rationis tenebras detrudere? Nonne tunc in maximum adducta eſt diſcrimen Eccleſia? Nonne poſtquam neque minæ, neque vultus inſtantium tyrannorum, non carcerum ſquallor, non exquiſita tormenta, non mille pœnarum modi, non mors ipſa ultimum terribilium, Eccleſiæ formidinem attulere, ignorantia, quam in eam invehere ſtudebat impius Imperator, tantum timoris attulit, ut venerandi illius Proceres tunc totis viribus hanc infeſtiſſimam Reipublicæ Chriſtianæ peſtem ſint ſtatim inſectati, atque ita callidiſſimi hominis, & veri Numinis oſoris aſtum eluſere? Et ſæculis etiam a nobis minus remotis, quum ſacrorum miniſtri & a ſcientia rerum divinarum, & a vitæ ſanctitate longius aberant (quod non ſine ingenti animi mœrore commemoro) num reges, num principes viri, num populi, num ipſa multitudo debita eos veneratione proſequebatur? Imo, quum in ſumma initiorum, & religionis ignoratione verſarentur, ipſimet ſacrorum antiſtites, & divinarum rerum magiſtri etiam in vitiorum cœno miſerrime volutabantur, ita quum populis non poſſent proprio exemplo, ut par erat, vel ſuis monitis prælucere, in nonnullis florentiſſimis orbis Catholici provinciis, a vera paulatim ita deſcitum eſt Religione, ut Eccleſiæ ſinus fuerit cruentiſſimis vulneribus dilaniatus. Verum ex quo fonte tantam ſapientiam,

tiam, morumque probitatem, noſtræ fulcimentum dignitatis, derivabimus, niſi ex illa diſciplina, cujus divinam vim Græci imponendorum nominum magiſtri videntur aſſequuti, quum Theologiam nominarunt? & ex illa potiſſimum parte, quæ divini eloquii auctoritate, & divinorum Reipublicæ Chriſtianæ Procerum ſcriptis, & tot Conciliorum ſanctionibus innititur: quæ non ſolum nos docet, quid nos credere oporteat, & quibus veritatis veſtigiis inſiſtere, verum etiam falſitatem refutat, erroreſque detegit, & quibus rationibus nominis Chriſtiani oſores, & damnatarum opinionum propugnatores profligentur, demonſtrat; & Eccleſiæ Romanæ hoſtes, tenebriones quoſdam, & veræ lucis inimicos, cum quibus nobis eſt perpetua colluctatio, qui nos quotidie verbis, & ſcriptis libris laceſſunt, exquiſitis tandem argumentis, & ex divinarum rerum ſcientia repetitis impellit, atque retundit. Hæc enim diſciplina turris eſt illa Davidica, illud propheticum munimentum, ex quo mille clypei, & arma fortium dependent. Sat ſcio primos illos Chriſtianæ familiæ auctores, in omnem terram miſſos, ideoque Apoſtolos vocatos, literarum & humanæ doctrinæ ignaros fuiſſe. At quis neſcit, illos divino Numine adflatos, & cœleſti ſapientia imbutos, quamvis rudes,
quam-

quamvis in ſumma humanarum rerum ignoratione verſantes, non tantum ſeptem illis Græciæ ſapientibus, cæteriſque doctis antiquitatis philoſophis, verum etiam omnibus Eccleſiæ Patribus ſapientiores quodammodo, doctioreſque fuiſſe? Quam autem illi Deo referebant acceptam doctrinam, qua Eccleſiæ fundamenta jecerunt, nos ab ea facultate mutuabimur, quam vobis, Adoloſcentes lectiſſimi, jam nunc tradendam ſuſcipio, quæ controverſiarum globos, & Patrum ſententias, & Conciliorum ſanctiones, & ſi quæ ſunt hujuſmodi, certo ordine digerit, & exponit. Nec minus neceſſarium eſt Eccleſiæ res geſtas memoriæ mandare, eaſque in numerato habere, ut iis tanquam è penu depromptis poſſimus exempla majorum & nobis, & adverſariis ante oculos ponere, quibus admoneantur, quam nos ſemper Religionis normam perpetuumque credendi tenorem habuerimus, illi autem immane quantum, totoque cœlo a Chriſti dogmate, & ab Apoſtolicis inſtitutionibus, & a Patrum decretis aberrarint, & nunc etiam veluti in profundo inſanarum opinionum gurgite abſorti, & inaniter diſceptantium æſtu jactati infinito errore circumferantur. Et num alio argumentorum genere ſalutariter uſus eſt Stephanus Pontifex Maximus adverſus Africanos,

nos,

Digitized by Google

nos, alioſque Phrygiæ, & finitimarum regionum Epiſcopos, ut eos ad ſaniorem redigeret ſententiam, qui iterum ſacra putabant ablutione expiandos a partibus hæreticorum ad Catholicorum caſtra confugientes? Næ ille quidem non aliud ſancivit, quam ut nihil innovandum, & exemplis ex Eccleſiaſtica Hiſtoria repetitis ſtandum eſſet, qua ratione, quod a majoribus traditum erat, confirmans, turbulentiſſimis Eccleſiæ temporibus pacem attulit, eamque ſedavit tempeſtatem, qua firmiſſima ejuſdem propugnacula fuerant non mediocriter concuſſa. Nec alia ſane ratione adverſus Novatianos Cyprianus,& Pacianus, & Cornelius tanta contentione decertaverunt: vel adverſus Donatiſtas, & Manichæos acriter pugnavit Auguſtinus Latinorum Patrum doctiſſimus: vel Ambroſius, Athanaſius, Hilarius, Euſebius contra Arianos, quam memoriam vetuſtatis excutiendo, divinis rebus aſſentiendi canones evolvendo, ſenſa, & inſtituta majorum, & Eccleſiæ res geſtas, quibus adverſabantur, objiciendo. Num, Auditores ſapientiſſimi, alia via ineunda, ut poſſimus auctoritatem Traditionis ab hæreticis pervicaciter impetitam ſuſtinere, ejuſdemque vim, & veritatem defendere, vel quod in controverſia eſt, & quod ſola Traditione innititur, demonſtrare, illudque ubique, ſemper,

per, & ab omnibus uſurpatum eſſe aperire? Num abſque hiſtoriæ lumine, abſque exemplis præteritorum temporum fieri hoc ullo modo poteſt? Præterea quæ nam alia ſcientia, quæ diſciplina, quæ facultas, quod ſtudium aliud eſſe poteſt, quod magis ad honeſtatem vitæ, ad morum integritatem conducat, quam Eccleſiaſtica Hiſtoria? Quod ſi hæc univerſe, imo illa ipſa quæ ſolas gentium profanarum explicaret narrando memorias a laudatiſſimo, & eloquentiſſimo ſapientiæ auctore lux veritatis, magiſtra vitæ, humanarum actionum moderatrix merito fuit appellata, quanto magis dicenda erit, hæc illuſtrium exemplorum refertiſſima non quidem fucatæ virtutis, & ſpecie tantum laudandæ, ſed ſolidæ, & abſolutæ, cujus exemplar poſſit omnibus cujuſque ætatis hominibus ad imitandum proponi? Quod ſi literis celebrata Miltiadis modeſtia, qui tot victoriis optime de patria meritus, tamen in vinculis publicis, quod mulctam pecuniariam ſolvendo non eſſet, diem obiit ſupremum: ſi Themiſtoclis obedientia in exilium, poſt Athenas a ſervitute liberatas, ab Athenienſibus pulſi: ſi Scævolæ obdurata patientia ſuam dextram ſponte comburentis, vel Attilii Reguli fides ad crudeliſſimos hoſtes redeuntis mirificum in nobis excitant virtutis amo-

267

amorem, nonne acrioribus ſtimulis ad conſtantiam, & ad veram animi fortitudinem, & ad omnem virtutum habitum nos eriget immotum tot Martyrum robur non tyrannorum minis, non cruciatibus tortorum immaniſſimis, nullo denique internecionis genere unquam animo concidentium, qui non ſententia moti, ſed in ſua religione perſeverantes, nec gradu cedentes, ſed audacter contra reges ipſos ſævitate armatos euntes, nec ſpe præmiorum elati, nec timore pœnarum depreſſi, grandia obiere pro Deo certamina, æternamque coronam, & nunquam interituram conſequuti ſunt gloriam? Quod ſi virorum ſumma probitate præditorum vitam intueri velimus, quos voluptatis illecebræ tranſverſos non egerunt, qui inſanas cupiditates, qui divitias, honores, gloriam, potentiam contemnentes, pleno gradu ad veram ſapientiam contenderunt, eamque cum divino illo virtutum omnium choro ſunt aſſequuti; reſpiciamus oportet cœleſtes, ut ſic dicam, primorum ſæculorum Chriſtianos, maxima illa naſcentis Religionis noſtræ lumina, quæ utpote totius lucis fonti propiora, lætius, & ſplendidius ſanctitatis radios quaquaverſum effundebant. Quod ſi quid amplius, ſi quid perfectius, ſi quid ſublimius deſideratis, excitabo vobis ex arenis

nis Ægypti perbeatos illos Nitriæ, Tebennæ, & Tebaidis accolas, quorum ſanctiſſima inſtituta, moreſque & Caſſianus, & Palladius, aliique Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ conditores, teſteſque plerumque occulati nobis quodammodo ob oculos ponunt. Quamobrem ſi & anteactis, & præſentibus temporibus ſtudioſi juvenes nil antiquius habent, quam multorum hominum urbes peragrare eorumque mores contemplari, ut proprios poſſint componere, ut bonam mentem acquirant, ut ſe ſe ad omnem honeſtatis habitum efforment, ſi conſuetudo, & familiaritas bonorum, ſi ſocios habere ſuæ vitæ, & in amicorum numero honeſtos viros, vel plurimum, vel omnino ad recte & ſapienter vitam inſtituendam conducit, quidni ex aſſidua lectione, ex diuturno Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudio idem ſperandum? Etenim ego ingenue fatear oportet, Auditores, dum Euſebium, dum Theodoretum, dum Sulpitium Severum, dum Lauſiacam ceteraſque Eccleſiæ Hiſtorias lego, vel memoria vetera Chriſtiani nominis monumenta repeto, mihi videor in illa doctiſſimorum, ac ſanctiſſimorum procerum concilia, in ſemper florentes piorum Chriſtianorum cœtus eſſe delatus: mihi videor mente alienata cum beatiſſimis illis divinitatis interpretibus Clemen-

te,

te, Ignatio, Juſtino, Cyrillo quamfamiliariſſime verſari: illos mihi adſtantes videre: illos ultro compellare: illos loquentes audire. Quod quum mihi quam ſæpiſſime uſuveniat, ceteris omnibus procul dubio hæc ipſamet ſtudia celebrantibus uſuvenire arbitror. Hæc autem exempla quid aliud eſſe debent quam incitamenta non mediocria, quam ſtimuli ardentiſſimi ad virtutis viam capeſſendam? Quod ſi qui in Sole ambulant, paulatim etiam nil tale cogitantes colorantur, & qui arti homines pingendi operam dederunt, etiam arbores, ceteraque naturæ opificia, etiamſi qua ratione neſciant, fingere diſcunt, ita quum noctes, atque dies menti obverſentur eximiæ virtutis viri, auctoritate, dignitatibus, ſapientia præclari, qua præceptis, qua curis, qua exemplis, qua prodigiis ad juſtitiam, ad modeſtiam, ad honeſtatem nos impellunt, fieri ne ullo modo poterit, ut illos nos etiam aliud agentes non imitemur, non eos ſequamur, non ad eorum exemplum noſtros actus conformemus? Fieri ne poterit, ut quum plebem ipſam, & imi ſubſellii homines, ignaroſque, & ab omni cultu, & urbanitate remotiſſimos, & ad viles quaſque artes detruſos, omni doctrinæ lumine orbatos, quod genus hominum vix, vel ne vix quidem quale ſit inter bonum, & ma-

lum

lum diſcrimen plerumque pervidet, primis Eccleſiæ ſæculis fuiſſe caſtiſſimos ſciamus, nos contra ſimus impudici, fuiſſe fortiſſimos, nos ſimus molles? Illos patientia obfirmatos, nos ignavia laboremus? Illos humili animo, nos elato? Illos Chriſti veſtigia ſectantes, nos ab illis aborrentes? Hoc tam abſurdum, tam a recta ratione abſonum, tam experientiæ omnium ſæculorum contrarium ſuadebitur profecto nemini. Verum non hoc ſolum reor ad reipublicæ Chriſtianæ incrementum conferre adjumenti hanc, quam ad docendum ingredior, facultatem, quod illa in humanis pectoribus ardens excitet virtutis ſtudium, & ad emendandam, perficiendamque uniuſcujuſque vitam, qui in ea accurate verſetur, quammaxime conducat. Hoc illius beneficium laudandum quidem eſt, ſed non illius omnino peculiare, egregium plane, ſed non unice illi tributum. Majus præſtantiuſque eſt, magiſque Religioni, nominique Chriſtiano neceſſarium, quod mihi dicendum ſupereſt, neque amplius differendum. Non ſolum igitur omnis ſacrorum antiquitas, & tanta vis exemplorum tenenda, ut illius ſtudioſius, ſi vitiis intercutibus madeat, convaleſcat; ſed etiam ut poſſit ceteris medicinam adferre, & non uni tantum homini, ſed generatim omnibus proponere omnium

vi-

vitiorum medicamentum : ſanis vero minimeque medela indigentibus, ut ad perfectionem ſublimemque ſanctimoniæ gradum properent, ſummæ virtutis apicem indicare. Etenim ſi in nonnulla re quid agendum, fugiendumve ſit dubitemus, ſi non bene conſtet, utrum hoc, an illud eligendum tanquam bonum, vitandumve tanquam fœdum, ſi cui opinioni tanquam divinitus confirmatæ adhærendum ſit, quæve ut hæretica reſpuenda, vel quibus verbis penitiora religionis myſteria aperienda, aut quo cultu Deus orandus ambigamus, & tamen hoc noſtro quodam jure debeamus decernere, nonne cæcutiamus oportet, nonne in ſumma rerum ignoratione verſari neceſſe erit? Imo fieri non poteſt, quin tranſverſi feramur, & temere, & inconſulto in errorem impingamus, ſi proprio marte, & ſolo intellectus noſtri ductu, ſolaque argumentandi facultate de tantis rebus aliquid ſtatuere velimus. Hæc, quam dudum laudibus exornare contendo, hæc inquam Hiſtoriæ, hæc Theologiæ pars conſulenda eſt. Ab ipſis enim in medium adferentur illa cœleſtis ſapientiæ volumina, præſtantiſſimorum Eccleſiæ Procerum ſcripta, innumeræ ab innumeris Conciliis traditæ regulæ, tot majorum exempla, tot decreta Pontificum maximorum. His ſtandum præceptis

ceptis, hæ lucidiſſimæ Chriſtianæ vitæ faces, hæc morum dirigendorum norma, ex his tandem abſolutiſſimæ honeſtatis, & totius Religionis fontibus haurienda, quæ tanquam è cortina, & tripode a ſupremo, ſummoque Eccleſiæ Sacerdote, a Romano Pontifice, divini Numinis pleno, danda ſunt populis per totum terrarum Orbem diffuſis reſponſa, vel potius oracula. Hinc divinarum rerum ſcientia, hinc vitiorum, omniumque animi affectionum medicina, hinc virtutis commendatio, hinc tota ratio morum ab his, qui ſacris initiati ſunt, ceteroſque docere debent, repetenda eſt. Tunc Chriſtiani nominis decus, & veneratio in dies augebitur, & Chriſtiana Reſpublica non mediocre ſuſcipiet incrementum. Nec vos moveant, Auditores ornatiſſimi, quædam imperitorum voces, & ſparſi in vulgus rumuſculi hominum invidorum, qui præteritis temporibus nondum barbarie ex Italia eliminata, ut nunc divini Numinis beneficio, tanta bonarum artium luce ejectam videmus, inſaniſſimos hos ſermones permiſcebant, & quod ignorabant averſabantur, & eam doctrinam, a qua ſe longe abeſſe ſentiebant, dicteriis proſcindebant, & calumniabantur; & quos eam celebrare, & ad eam incumbere intelligebant, læſæ Divinitatis crimine

in-

incuſare non dubitantes, Religionis neglectæ, & impietatis arguebant, nulla alia commoti ratione, quam quod viderent eos, qui hæreſes ſectabantur, & a noſtra Religione erant alieni, iis ſtudiis immorari, ut noſtra dogmata impugnarent. Quibus inſaniſſimis obtrectationibus me temperare non poſſum, quin ſubiraſcar, quum videam illinc peti accuſationis argumentum, unde petenda foret harum facultatum non vulgaris laudum ſeges. Et quænam, bone Deus, major, aut præſtantior unquam excogitari poteſt laus hujus divinæ doctrinæ, quæ ratio magis nos impellere, ut arcte teneamus, ad augendam tuendamque Chriſtianam Rempuplicam hæc ſtudia maximopere juvare? Nam ſicut ille præſtantior imperator non habetur, qui ſolum acies diſponere, milites cohortari, campum movere, caſtra metari ſciverit; ſed qui manus conſerere audeat: qui inimicorum aſtus intelligat, atque illis intellectis eludat: qui hoſtium arma attrectare, atque ipſos iiſdem confodere queat: qui a transfugis, vel ab exploratoribus cognoſcere ſtudeat, quid agere velint, quid ſentiant, quid cogitent hoſtes: qui omnes illorum artes, omnem illorum bella gerendi rationem probe teneat; ſic optima quidem res eſt, & apprime neceſſaria Religionis dogmata callere,

re,

Digitized by Google

re, ejuſque inſtitutiones, ejuſque præcepta memoriter narrare; ſed hoc ad eam defendendam non ſatis eſt, verum probe ſcire oportet, quæ in nos jaciant tela, qui alienæ hæreſi ſunt addicti, ut ea poſſimus vel evitare, vel retundere: ut ex intimis eorum mentibus pervicaces, atque nefarias opiniones evellamus, quas auctoritate divinorum Librorum, vel Conciliorum decretis, vel priſcorum Antiſtitum ſcriptis, a ſe peſſime habitis, confirmare contendunt. Alioquin umbratiles erimus imperatores, enerves duces, molles & languidi milites, omni armorum genere deſtituti, vel tali pugione cincti, qui contra noſtros adverſarios nihil valeat; & quum telis quamoptime inſtructi nobis inepte videamur, in aciem deſcendentes putabimus nos in alium orbem eſſe delatos, & tunc tandem noſtro detrimento, & verecundia inermes nos eſſe ſentiemus. Gratiæ igitur habendæ ſunt maximæ huic facultati vel ex hoc ipſo capite, ex quo illam criminandi anſam inepti homines ſumpſere, tantique pluris facienda, quod ipſiuſmet vituperationes uberem potius materiam ornamenti ſubminiſtrant. Quamobrem vos oro, obteſtorque, Patres ampliſſimi, clariſſimi Eccleſiæ Proceres, nam ad vos tandem mea ſe ſe vertit oratio, ut eam quam ego profi-

teor

teor rerum in Eccleſia geſtarum cognitionem, & controverſiarum doctrinam, quamque vos optime tenere ſentitis, veſtro favore, gratia, ſtudiis, auxilio proſequamini. Ex his enim & doctrina illa, & morum præſtantia originem ducit, a quibus primordia cœperunt veſtra dignitas, veſtra amplitudo, auctoritas, gloria, majeſtas. Non enim Chriſtiana Reſpublica, qua nulla major, nulla ſanctior ex magnifico rerum externarum apparatu, nec ex iis, quæ vulgo apud mortales magno in pretio habentur, divitiis, generis claritate, armorum potentia ad tantam magnitudinem, & ad tam ſublime honoris faſtigium pervenit. Quod ſi ita eſſet, multo pulcherrimam eam nunc ſane haberemus, qui ſummo Dei beneficio, ac majorum noſtrorum prudentia, & conſilio iis omnibus ſatis abundanter perfruimur. Ex ſola ſapientia, & virtute initium duxit divinum hoc, & immortale imperium; iiſdem igitur veſtigiis inſiſtendum, iiſdem artibus immorandum, ut ex quibus originem, & incrementum, etiam ſuſcipiat unde conſervetur, & augeatur. Sapientia vero & virtus ad hoc neceſſaria, quæ animum ad omnem honeſtatem componat, quæ vitia excindat, & reſecet cupiditates, doceatque quomodo vitam eleganter & cum laude non ſolum ipſi agere quea-